

*7. N. D. O. M.*

*Dissertatio Historica*

*De*

*Paroecia Alandiæ Lemland,  
Eique Annexa Lumparland,*

---

Cujus Partem Priorem

*Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

*Præside*

*Mag. JOHANNE BILMARK,*

*Histor. ac Philos. Pract. Professore Reg. & Ord.*

*Publice examinandam proponit*

*DANIEL FERDINANDUS*

*MATLÉN,*

*Alumnus Regius, Alandus,*

*In Auditorio Majori die XXV Februarii*

*Anni R. S. MDCCXCH,*

*Horis ante meridiem confutis.*

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,*

Viro PERCELEBRI,  
D:no Mag. ISAACO NORDBERG,  
Ad Scholam Cathedralem Aboënsim  
LECTORI dexterimo,  
BENEFACTORI HONORATISSIMO,

Cum post Patris mei carissimi obitum, eheu! præproperum, spes salutis meæ collapsa videbatur, DIVINÆ placuit Providentiae Te, Percelebris Domine Lector, excitare, qui curam institutionis meæ ageres perbenignam. Ad lectiones Tuas non solum liberum mihi concessisti aditum, sed multis insuper me ornasti beneficiis; pro quibus quum debitas Tibi referre nequeam grates, digneris tamen, enixe oro, in tesseram pietatis nunquam intermorituræ præsentem meam, quam cernuus Tibi offero, suscipere dissertationem, parique in posteruni me amplecti benevolentia. Nullus omnino dubito, quin pro Tua humanitate hanc dederis veniam

*Percelebris Nominis Tui*

humillimo cultori  
*DANIELI FERD. MALLÉN.*



## PRÆFATIO.

Sicut ad officium cujuslibet pertinet Nationis, accuratam & terræ & incolarum suorum sibi acquire cognitionem, sine qua ad conditionem suam meliorem reddendam parum omnino proficiet; ita etiam civibus, illis præsertim, qui in litterarum campo defudant, incumbit, Nationi suæ auxiliatrices in hoc negotio præbere manus. Hoc certe motivo, quod prolixus in natale solum amor mihi suggestus, meum ita inflammari sensi pectus, ut specimen Academicum editurus, parœciam Alandiæ *Lemland*, in qua nascendi fors mihi contigit, potissimum describerem. Quod tamen dum molior opus, præsumo non paucos futuros, qui existiment, parœciam hanc, ut valde exiguum, & insignibus quibusdam monumentis fere destitutam, vix mereri, ut in eadem illustranda studium & operam collocem; quorum ego haud difficulter cedens rationibus, conclusioni tamen hinc elicite eo minus assentior, quod probe sciam, locorum indolem nec ex eorum amplitudine, nec ex rerum memorabilium, quæ in eis forte contigerunt, numero esse

A

esse

\* ) 2 ( \*

esse totam censendam. Non multa quidem, nullam licet indagandi curam intermiserim, colligere potui rerum spicilegia, digna, quæ curiosis propinentur Lectoribus; sperare tamen ausim, æquos rerum patriarum æstimatores schedulam hanc, ceu insulam, non fore rejecturos. Sed ex hoc præfatiunculæ diverticulo ad ipsum institutum me nunc accingo.

§. I.

Sita est parœcia *LEMLAND*, de qua ut speciatim primum agam, ordinis postulat ratio, juxta recentissimam Alandiæ mappam Geographicam, quæ Holmiæ An. 1789 nitidissime impressa prodiit, inter latitudinis borealis gradum  $60^{\circ}$  &  $60^{\circ} 6'$ , atque inter longitudinis  $37^{\circ} 39'$  &  $37^{\circ} 50'$ , computatione scilicet facta a primo meridiano in Insula Canariae Ferrœensi constituto; quæ quidem amplissimæ mensuræ ad medias reductæ, ostendunt, aream parœciae Lemland esse tres quadrantes milliaris quadratici Svecani, seu intra eam 17000 jugera (*Tunneland*) circiter esse numeranda. Separatur nostra parœcia ab eidem vicina, Jomala nuncupata, per fretum *Oeninge* & torrentem *Lemlandsström* dictum, nec non ab eidem annexa *Lumparland* per fretum *Lumparsund*; cæterum aquis Maris Baltici, infidis heic scopulis ac brevibus passim scatentis, undeque cingitur. Stipant præterea nostram parœciam plures, sed exiguae insulæ, quarum

rum nonnullæ certis parent prædiis, aliæ parœcis sunt communes, junctimque sumtæ speciem cycladum mentiuntur, quarum quæ incolis carent, armentis ac pecoribus grata & copiosa præbent pascua.

## §. II.

Rationem nominis, quo parœcia *Lemland* distinguitur, eo difficilius, quod ingenue profiteri non dubito, adsequor, quod in scriptis Auctorum, qui de rebus commentati sunt Alandicis, utut ex æqua æstimatione perquam sagacium, nulla hac in parte occurrant tentamina Etymologica. Nostros consului ruricolas, in quorum simplicitate sæpe multa promicat ingenuitas; hi autem eam fovent opinionem, quod quum intra nostram parœciam ad pagum *Lembothe* nunc dictum reperiatur fons foterius *Boda* nuncupatus, cuius aquæ haustu non pauci, quorum membra gravibus adfecta fuerunt morbis, sanati perhibentur, fons hic ex membrorum curatione *Lembota* primo, contracte deinceps *Boda* appellatus, unde præsumunt, priorem syllabam *Lem* nostræ appositam terræ, occasionem nominis parœciæ *Lemland* dedit. Sed dissimulare non possum, quin varia sint momenta, hanc etymologiam minus probabilem reddentia. Nisi enim omnia me fallunt, prius & innotuit & cognominata fuit insula *Lemland*, quam fontis, quem suo gerit finu, effectus explorari potuit; deinde nullo ad nostram memoriam superstite indicio constat, fontem istum o-

lim dictum fuisse *Lembotha*, sed simpliciter *Boda* esse nuncupatum, unde sequitur, parœciam nostram, admissa hypothesi quod ex hoc fonte suum sortita sit nomen, non *Lemland*, sed *Bod-land* appellari debuisse. Enimvero licet pro obscuris Lemland natalibus eruditis nihil præter conjecturas, quarum valorem aliorum submitto judicio, adferre possim; dabitur tamen mihi, ut spero, venia, si in re ambigua ingenio non nihil indulgeam. Ex situ parœciæ, quem in antecedente delineavi paragrapho, patet, insulam Lemland multis cinctam esse scopolis; ad quos, quum antiquissimis temporibus, quibus pauca suppetebant navigationis feliciter instituendæ adminicula, multi facerent naufragium, ingens quoque ad hæc littora iterum iterumque colligebatur diffracturum tabularum congeries. Quum igitur minor tabula tam veteri lingua Gothica, quam in quibusdam Svethiæ provinciis etiamnum dicatur *Låmm*, seu ad genium lingvæ Alanorum *Lem*; probabilitate non vacat, parœciam nostram ex isto etymo nuncupatam fuisse *Lemland*. Fas autem est, ut meis optionem relinquam Lectoribus, aliam proinde annexam appellationis rationem. Supicari igitur licet, insulam nostram continent, ut dicitur, Alandiæ olim adhæsisse, postea autem vel per terræ motum, vel per irruentum aquarum violenteriam a parœcia Jomala fuisse separatam, proindeque nostram parœciam fuisse dictam *Låmnadt-land*, contracte Lemland, seu *terram avulsam*. Si autem nec

hæc

hæc sibi constet etymologia, in alia quadam eruenda  
eo minus laborabo, quod sciam, in provinciis, etiam  
extra patriam quam plurimis occurtere locorum no-  
mina, a *Lem* incipientia, sed quorum rationes genui-  
nas ne sagacissimus quidem adsequetur Oedipus.

## §. III.

Quod ad naturalem parœciae Lemlandensis in-  
dolem attinet, breviter observo, quod sicut eadem est  
pars Alandiæ maxime meridionalis, eamque mare  
undique alluit; ita clima ejusdem sit minus asperum,  
solum tempestivum, & quamvis arenosum, attamen  
tantum non ubivis fertile. Amœnitatem vero terræ  
adaugent cum luci passim obvii, tum frondosæ silvæ,  
modicæ quidem amplitudinis, sed quæ necessariis in-  
colarum usibus, ut hactenus, ita in posterum sufficient,  
præsertim si prudentius ac parcus, quam in re fieri  
folet communi, cæduis uterentur. Luxuriant quo-  
que campi perplurimis Floræ dotibus, per Scandi-  
naviam non tantum vulgaribus, sed aliis etjam inter  
rariores haberi solitis, ad quam classem referuntur  
*Cratægus* (Oxel), *Salix* (Jålster), *Hippophæ* (Haf-  
torn), *Taxus* (Ideträ), *Acer Platanoides* (Lönn), *Fra-  
xinus* (Afk), *Ulmus* (Alm), *Quercus* (Ek), *Opulus* (Ol-  
vonträ) alijæque, sed quibus ulterius recensendis su-  
perfædeo, ne faleem in alienam immisso videar mes-  
sim (a). Occurrunt denique in nostra parœcia mon-

tes ad pagos Hellestorp, Söderby, Bistorp, &c. in quibus vero nihil haec tenus detectum, quod curiositatem scrutatoris moraretur, aut spem lucri faceret.

(a) Si quis scire desideret præcipua, quæ Alandia solum subministrat, producta naturalia, suæ quodammodo satisfactum inveniet curiositati per Cl. TÆRNSTRÖMI *dissert. de Alandia, maris Baltici insula, part Posterior. Upsaliæ An. 1745* editam.

#### §. IV.

Scopulos quoque Lemlandenses, quantumvis asperos & incomitos, in publicum usum humana convertit industria. Certissimis enim constat documentis, inde ab antiquiori ævo tres turres in exstantioribus salebroſi hujus maris rupibus fuisse aedificatas, quas nimium adfectas, ut inter Suethiam & Finlandiam navigantibus non amplius infervirent, quum Christina BERGENSTIERNA, conjux Ammiralii Johannis BERGENSTIERNA non sine magnis suis reficiendas curasset sumtibus, gl. m. R. CAROLO XI gratum adeo hoc obvenit officium, ut datis die 24 Oct. An. 1671 Regiis litteris fundos quosdam in paroecia Lemland ei donaret, ejusque prædiolo, *Haddnås* ibidem sito, annexeret (a). Et præter hos tres pharos quartum suis impensis in remotiori scopolio exstruxit Ammiralius modo nominatus; ejus utilitatem pro ea, qua pollebat, scientia & experientia prævidens. Sed quum hæc turris post aliquot lustra vehementiæ flu-

ctuum

\* \* \* \* \*

ctuum ac tempestatum succumberet, idem gl. mem.  
Rex ad submissam Collegii Cameræ petitionem datis  
die 8 Mart. An. 1694 gratiofissimis litteris jussit, pha-  
rum hunc publicis quidem exstrui sumtibus, hac ta-  
men conditione, ut proximi accolæ curam conserva-  
tionis ejus in posterum gererent. Ad parœciam Lemland  
nostra ætate tres spectant phari (Båkar), primus qui  
ad orientalem situs est plagam, ex crassioribus confe-  
ctus asperibus, *Lefund* dicitur; ejusdem structuræ est *Låg-  
skårs Båken*, maxime meridionalis & tertius ad oc-  
casum ex lapidibus An. 1744 exstructus, *Nyhamn* ap-  
pellatur, asperis singuli inædificati scopulis, in altitu-  
dinem decem vel duodecim cubitorum supra suam  
elevati basin, cursu navium inter Svetiam & Fin-  
landiam commeantium dirigendo apprime inserviunt. In  
neutro autem ignes aluntur nocturni, raro enim con-  
tingit, ut post medium autumnum ulli hoc navigent  
æquor. Portus præcipui sunt *Rödhamn*, *Flaka* & *Ny-  
hamn*, quos vero navigantes non subeunt nisi adversa  
tempestate compulsi.

(a) Fama constat haud dubia, colonos quosdam Lem-  
landenses ad annum canonem & certas operas pos-  
sessori prædiæ *Haddnäs* præstandas olim fuisse ob-  
strictos; nostro autem ævo ab utroque hoc onere  
sunt immunes.

### §. V.

Exigit a me officii ratio, ut plenam quoad fieri  
potest, parœciæ Lemland tradam descriptionem; quo-  
cira

circa rem haud ingratam me facturum puto, si de pagis ac prædiis ambitu illius contentis, nonnullas in medium adferam observationes. In antecessum indicare fas est, quod librum descriptionis Terræ Alandiae (*Jordebok*) illo antiquorem, qui ex auctoritate publica mense augusto An. 1661 (ni fallor, numerorum enim characteres sunt in initio primæ paginæ ferme obliterati) fuit confectus, & quo novus constitutus fuit census (*Skattläggning*), invenerim nullum. Ex hoc autem colligere licet, quod prædia eo tempore, qua suam civilem æstimationem, triplicis in parœcia Lemland fuerint generis: Vectigalia (*Skatte*), Fiscalia (*Crono*), ac libera (*Frälse*), & quidem qua majorem partem vectigalia, unico tantum tunc liberis annumerato, sed cuius fors postmodum in vectigale fuit mutata; nostro enim ævo prædia Lemlandensia sunt aut vectigalia aut fiscalia (a). In hac autem parœcia seorsim spectata sequentes occurunt pagi, numerus nomini appositus indicat quot prædiis quilibet constat pagus: *Bistorp Markelag och By* olim 5, nunc 4 gaudet prædiis; *Rörstorp* - - 3; *Bengtsbôle* - - 1; *Norrby Markelag och By* - - 6, huic jam innexus est pagus *Björkelund*; nisi quod æditimus suum peculiare heic habeat domicilium. Haud procul a pago *Bengtsbôle* est præmium Pastor ecclesiæ in habitacionem ac sustentationem concessum; præmium hoc est separatum (*Enstaka-hemman*), minus commode ædificatum, agris, pratis atque horto instructum. Superiori

riori seculo Pastor loci incolebat unum prædiorum in pago Rörstorp. Præterea Söderby - - 9; Västerång - - 3; Väfingsboda - - 5; Haddnäs - - olim 2, nunc vero uno præd (d). Ulterius in recentioribus Rationariis occur- runt Korsö (allmännings-holme) & Stakskärr 1, nec non tres aliæ insulæ communes (allmånnings-holmar) Pungön, Nyan & Åskön,

- (a) Quum nostra adsertio fide documentorum publicorum nitatur, nullam video rationem, qua inductus Cl. TÆRNSTRÖM adfirmare ausit, prædia Lem- landensia esse in universum fiscalia, vid. *Tabulam dissertationi suæ de Alandia priori præfixam.*
- (b) Cel. D. TILLANDER, auctor dissertationis de *Angaris Aboæ habitæ Parte posteriori* p. 53 existimat, Lemböte promontorium Alandiæ speciatim paroeciæ Lem- land, pyram, in illo excitatarum, memoriam suo reficare nomine, rationem vocis bōte deducens ex veteri vocabulo Gothico *Vita*, *Bita*, *Bōta*, *scire*, *in- notescere*, unde boeta Steinar lapides memoriales. E- nimvero quum Lemböte sit pagus, non promontori- um quoddam, nec ullo constet indicio, pyram quan- dam heic loci olim fuisse exstructam, qualis nec juxta illud fretum fuit necessaria, haud præter rem colligo, etymologiam istam esse quidem ingeniosam, sed minus genuinam.
- (c) Ad tenorem Rationarii illius antiqui, a nobis com- memorati, hujus pagi incolæ sunt conquesti, usum trium insularum (*Holmar*) pago suo adjacentium, sibi fuisse subductum, easque arcii Castelholmensii suc- cessu temporis factas esse proprias; quorum autem querela, an ex merito facta, ignoro, surdas invenit aures.

(d) Prædium hoc primum inclinuit per Nobilissimam familiam BERGENSTJERNIANAM, nomen Nostris tibus perdilectum. Probabile est, prædium hoc, plures & meliores olim habuisse ædes, quam ibi jam conspi ciuntur, rusticæ convenientes simplicitati; quamvis illarum nulla-nunc occurrant indicia. Cæterum certa inter incolas constat traditione, ædes hujus prædii in habitasse Regem gl. mem. CAROLUM XI, dum An. 1671 alcium venatione, quo Heroico exercitio ad modum delectabatur, in Alandia per aliquot commorabatur dies, de qua sequentem inveni annotationem, a PALMSKJÖLDIANA, quam adfert Cl. TÆRN STRÖM in dissertatione citat. part priori p. 12 not. f. non nihil diversam. År 1671 den 31 Augusti afreste Konungen, Drottningen, de tvåne Furstelige Fröknarne, Hofmästerinnan, några af Fruentimbret, Riksmarskalken Gr. GABRIEL OXENSTJERNA, Hr. STEN BJELKE, Gref NILS BRAHE och Hr. UHL FELDT til Åland uppå Ålga-jagt. Hans MAJ:T fälde der Sjelf en Ålg, som straxt stupade. Den 8 September afreste de därifrån, och den 9 seglade de öfver hafvet uti en stor storm, och kommo några dagar derefter til Stockholm. Præsumo etjam, Illusterrissimum Comitem Petrum BRAHE, Gubernatorem Generalem Finlandiae & Alandiæ constitutum, dum mense Septembri An. 1639, rerum per Alandiam ordinandarum causa ibidem commorabatur, ac venatu Alcium graves suas subinde fallebat curas, opportunum Haddnäsenle hospitium non fuisse designatum. His in medium allatis unicam annexo observationculam, scilicet quod ad prædium Haddnäs etiamnum cernantur rudera horti, olim perquam eximii.

Sicut suam Alandi a Svecis ducunt originem, Alandiaque imperio Svethico perpetim fuit innexa; ita admodum est probabile, utramque gentem communibus sacris tam sub gentilismi tenebris, quam sub Christianæ Religionis luce fuisse addictam, adeoque vel de superstitiosis illius ritibus, vel de hujus initiis speciatim quidquam impræsentiarum differere, opus futurum plane supervacaneum. Templum, rectius ut videtur, Oratorium, cameram enim modice magnitudinis refert (a), paulo post introductam Religionem Christianam ex axis construxerunt incolæ parœciæ Lemlandensis, idemque St. OLAVO (b) nuncuparunt, a nostratis etiamnum St. Olofs Capell dictum. Hujus in colli ad pagum Lembôte (c) adhuc cernuntur rudera, parietibus ferme integris, tecto autem demolito, & magna lapidum congerie residuum impleente ædificium. Seculi, quo hoc exstructum, vel idem corruere passi sunt incolæ, nulla vel per traditionem ad nos pervenit notitia. Cæterum St. OLAVI nomen Alandis fuit peramabile; quippe cui Templum etiam insulæ Alandiae Wårdö, parœciæ Sundensi annexæ, dicarunt, ejusque mémoriam adhuc refricat provinciale, idemque antiquissimum Alandiae sigillum.

(a) Dimensionem hujus facelli seu oratorii a fratre meo carissimo accepi sequentem: Longitudo ejus est  $11\frac{2}{3}$  Uln. Sveth. Latitudo  $8\frac{1}{2}$ , tecti (Röftets) altitudo  $12\frac{2}{3}$ ; parietum seu muri altitudo  $6\frac{1}{2}$ ; hujusque crassities  $1\frac{2}{3}$  Uln,

(b) Indubium puto, OLAVUM, cuius memoriae hoc facellum fuit dicatum, fuisse Norvegiae Regem Olavum, Regis Haraldi filium, ob Religionis Christianae propagandæ Zelum, & eximiam, dum viveret, fortitudinem variasque imperii vicissitudines maxime inclytum, & post indeptam a papicolis canonizatiōnem cultu religioso per totam honoratum Scandina-  
viam.

(c) Quum corpus Regis OLAVI pluribus post cruenta fata ex traditione Monachorum inclareceret signis ac prodigiis, a verisimilitudine forte non est alienum, plebem nimis credulam aquis fontis *Boda*, de quo antea sum locutus, quod in vicinia ædis, tanto Di-  
vo dicatæ, esset, singularem morbos sanandi vim tri-  
buisse; præstantem autem hanc virtutem cum disje-  
ctis avitæ superstitionis præstigiis sensim evanuisse.  
Dum hic fons, cuius aquæ aliquem ex mineris pro-  
dunt saporem, ab accolis haud ita pridem effodie-  
batur, in fundo reperti sunt tenues quidam ænei  
nummi, sub imperio Reginæ CHRISTINÆ cusi.

### §. VII.

Ab hoc delubro recedentes, ad Templum, in quo incolæ parœciae Lemland publice sacra peragunt, con-  
siderandum, pio properamus studio. Situm hoc est  
ad dimidiā circiter milliaris Svecani partem versus  
orientem ab antiqua æde, in loco perquam amœno  
ad littus sinus maris ædificatum & a St. BRIGITTA  
nominatum. Quamvis nullis constet monumentis,  
quo tempore, aut cuius sub auspiciis illud, qua ma-  
ximam

ximam partem ex rudibus confectum saxis, sit ex-  
structum, probabile tamen est, quod ætas ejus æram  
reformatæ per patriam Religionis Christianæ ante-  
vertat, quamvis nullæ papismi reliquiae in eo supersint.  
Arctioribus idem olim, quam quibus nunc gaudet, cir-  
cumscribebatur terminis; chorum enim suis sumtibus  
eidem adjungendum curavit Ammiralius & Regii  
Collegii Ammiralitatis Consiliarius Nob. Dominus Jo-  
hannes BERGENSTJERNA, de quo illustri viro  
eiusque conjugi, quorum insignia sunt in nostram pa-  
rœciam merita, nonnulla speciatim postmodum adse-  
ram, anno superioris seculi LXXVI, mihi fuit re-  
latum. Ædis hujus longitudo est 57, latitudo 17 $\frac{1}{4}$  &  
altitudo 33 uln. Svec. patetque in eam introitus per  
tres portas, quarum una occasum, duæ autem meri-  
diem spectant. Non multis quidem, quum tenuis fit  
plerorumque incolarum conditio, gaudet ornamenti,  
nec tamen omnibus destituitur, quin sine jactantiæ cul-  
pa profitéri ausim, quod Templum Lemlandense nulli  
per Alandiam sit venustate secundum. In Choro, ut  
ab hoc descriptionem ordiar, altari ad parietem im-  
posita est tabula, in qua depicti cernuntur tres Magi,  
ab oriente venientes, & Christo Salvatori recens nato  
dona sua supplices offerentes. Ad infimam ejusdem  
Tabulæ oram, positæ sunt septem minusculæ statuæ,  
ex ligno manu fabrifactæ rudiori, nescio quorum i-  
magines referentes, cum inscriptione: *Gudi til åro -*  
*-- Johan Olofsson Berg och Kirstin Pärs dotter (a)*

Super eadem tabula muro depicta leguntur verba:  
*Venite ad me omnes, & dextrorum a tabula: Smaker  
 och ser huru ljuslig Herran är, sinistrorum vero: Såll  
 är den som tröstar på honom.* Ad meridionalem hujus  
 chori parietem dormitorium sibi suæque Conjugi ex  
 coctis lateribus exstruendum curaverat Nobilissimus  
 BERGENSTJERNA; sed quod, dum Templum haud  
 ita pridem reparabatur, sicut demolitum, venustati  
 quippe loci officiens, & lecti horum conjugum fera-  
 les, qui olim fuerant duplices, interior ex asseribus  
 quercinis, exterior ex laminis constans cupreis, quæ  
 vero ahenea instrumenta Rossi, dum altero hujus se-  
 culi decennio Alandiam tenebant, secum, ut relatum  
 accepi, abstulerunt, nunc in alio sepulcro sub ipso  
 depositi sunt altari. E regione suggesti duæ suspensæ  
 sunt tabulæ, quæ continent orationes, quas Rex Au-  
 gustissimus GUSTAVUS III in comitiis An. 1771 &  
 1772 ad Regni Ordines habuit. Quatuor etiam in  
 hoc templo sunt Lychnuchi (Ljus-Cronor) ex ori-  
 chalco confecti, atque ex fornicis sublimi pendentes,  
 unus in choro, cæteri in æde sacra: quorum major  
 talem habet inscriptionem: *Herrans hus til prydnad  
 och åreminne efter Härads-Domaren Hans Ersön och  
 Brita Ers dotter af des son Erich Hansson och Hustru  
 Cajsa Ers dotter år 1782.* In altero paulum minori,  
 sed antiquiori, hæc occurrit epigraphe; *Johan Olofsson  
 Berg och Hustru Kirstin Pårs dotter;* reliqui duo  
 Lychnophori inscriptionibus plane carent. Supra Sa-  
 crarii

erarii introitum depicta est imago Salvatoris, de cruce pendentis, cui quatuor Evangelistæ adstantes representantur attoniti. Gaudet quoque templum vasis quibusdam argenteis & palliis sacerdotalibus sericeis, ad cultum Dei publicum decenter administrandam necessariis. Insuper in hac Æde sunt duæ sellarum series, quarum illa ad dextram xxv, altera ad sinistram xxx constat sedibus: illa a viris, haec a feminis, dum conciones habentur, occupatur; sed quum illa viros nequaquam caperet, recentiori ævo ad occidentalem templi partem exstructa, simulque non invenuste depicta est superior contabulatio (Svethice Läcktare) IX sedilibus distincta. Addo denique, quod intra templum sit unicus lapis sepulcralis inscriptio, quæ simplicitatem magis auctoris, quam sui prodit seculi, notatus: est autem illa talis: *Pastor i Lemland Herr Mathias Johannis och dess Hustru Brita åro här begrafne anno 1694 --- och vet, att på den sista dagen måste jag med glädje upstå af min graf. --- Den som rör och tilågnar sig min graf, honom dömmner Gud vist til mörkvens haf.*

(a) Strictim monendum, quod quoties horum conjugum in nostra dissertatione injicitur mentio, toties indigitetur BERGENSTJERNA.

### §. VIII.

Occidentali Templi hujus parieti extrorsum adjunctum est aedificium turritum, ex lapidibus construtum,

etum, in quo duæ campanæ mediocris magnitudinis  
 sunt suspensæ, quarum sonoro clangore populus Lem-  
 landensis ad sacra solenniter peragenda convocatur.  
 Neutra harum nolarum, quæ disparis sunt magnitu-  
 dinis, opere quodam cælato est insignis. Major ea-  
 rum adstantibus hanc legendam præbet inscriptionem:  
*Soli Deo Gloria - - CAROLUS undecimus, Sveciæ Rex*  
 - - - *Fru Christina BERGENSTJERNA, Friherrin-*  
*na til Haddnäs &c. (a) Liber Baro Lorens CREUTZ,*  
*Toparcha - - - Doct. Johannes GEZELIUS, J. F.*  
*Episcop. Aboënsis - - Dom. Matthias Berg, Præpositus*  
*Jomalenfis - - Dom. Matthias Johannis, Pastor in Lem-*  
*land - - Casper Törenström, Lands-Fiscal - - D:rus*  
*Sveno Forsman, Sacellan in Lemland - - Psalmen 132*  
*v. 7. Hans Jacobson och Mats Andersson, Kyrkovär-*  
*dar - - Gudi til åra och St. Brigitte Moder - Kyrka*  
*uti Lemlands Sockn til prydnad är jag guten i Åbo af*  
*Mäster Mårten Mickelson anno 1691. In minori cam-*  
*pana hæc tantummodo leguntur verha: St. Brigitte*  
*Kyrka. Kyrkoherden Amnorin. Kyrkovårdarne Hans*  
*Pårsön oeh Matts Mattsson, guten i Stockholm af Jo-*  
*han Falsten 1771. Haud vane præsumo, utraque hac*  
*campana antiquiores habuisse nostrum Templum; cu-*  
*jus autem illæ fuerint conditionis, aut quæ earum fa-*  
*ta, me plane fugit. Clauditur denique cœmeterium*  
*muro non exiguae amplitudinis ex collectis grandio-*  
*ribus lapidibus congesto; quocirca in laudem incola-*  
*rum haud erit reticendum, ab his graviter fuisse cau-*  
*tum,*

tum, ne quæ intra Templum sepelirentur funera, ut mortuorum exhalationes sanitati piorum Dei cultorum non officerent.

(a) An plura ipsa possederit prædia præter illud exiguum Haddaås, vectigalis indolis, me fugit.

S. IX.

Quamuis in sinu Ecclesiæ Lemlandensis nasci non contigerit Nob. Johanni BERGENSTJERNA, vel hujus conjugi Christinæ, Petri filiæ, tantis tamen eam ornarunt muneribus, quanta a benignissimis patronis exspectare fas est. Jubet igitur pietas, ut de utroque aliquid faltem per transennam in medium hac vice proferam. Meum autem non est, vitam illustris hujus viri hisce pagellis enarrare; quum otium mihi in hoc negotio fecerit Abrahamus ALCINIUS Sermone funebri in exsequiis Johannis BERGENSTJERNA Holmiæ anno 1678 a se habito; ex cuius relatione vitam illius concinnavit Johannes GEZELIUS in *Lexico Biographico p. 159 & seqv.* ex quibus scriptis nonnulla in præsentem rem adferam momenta. Ignobili ortus fuit stemmate Heros noster, Patre natus OLAVO Andreæ filio Berg, cive oppidi Nortelgæ & matre Catharina Andreæ filia. Ille vero sicut per naturam impiger & erectæ admodum indolis fuit, ita per arduos egregiorum factorum gradus, nullius patrocinio speciatim adjutus, ad illustria

Ammiralii ac Regiae Ammiralitatis Collegii Consiliarii munera pedetentim ac robustis adscendit passibus; Nobilitatisque insignia in suam inferens familiam, Gentilium nomen BERGENSTJERNA adsumsit. Enimvero quum ex dilectissima sua conjuge nullos suscepserat liberos, nec de sua in Palatium Ordinis Nobilium introductione fuit sollicitus, quamobrem nec hæc familia in Matricula Nobilitatis Svecanæ ab illustri STJERNMANNO consignata & edita occurrit. Floret quidem nostro ævo Nobilissima familia BERGENSTJERNA, sed quæ recentior alii Satori suam debet originem, quod ex nominato colligere licet libro. Quoties quid otii ex militia navali nostro concedebatur Heroi, quale ipsi experto sua raro indulxit strenuitas, toties ad prædiolum suum Haddnäs in parœcia Lemland sito, tanquam ab alto in desideratum se contulit portum, ubi ex suo cubili Neptunum modo placidum, modo ira ingentes voluentem fluctus contemplabatur, exiguo hocce rure magis, quam amplissimo delectatus feudo. Hujus conjugem, insigne sexus sui ornamentum, viduam factam, quæ mariti, a se tenerrime delecti, cognomen BERGENSTJERNA, sibi ut hereditatem caducam appropriavit, in matrimonium duxit Dioceſeos Aboensis Episcopus &c. Dn. Doctor Johannes GEZELIUS, G.F. ad secunda transiens vota; quum autem ipsa post jucundum sexennii consortium hunc etiam sibi morte exceptum desiderare cogeretur maritum, urbanum effugiens

giens strepitum, ad suum prædium Haddnäs, quo ut molestiæ ac curarum levamine fruebatur, se contulit, ubi sua se involvens virtute, nulli fere per reliquam ætatem, nisi Deo & ecclesiæ Lemlandensi, donis a se iterum iterumque ornatæ, nota. In ejus honorem ac memoriam sermonem exsequialem anno 1703 habuit Daniel HAGERT, Pastor ac Præpositus in Finström.

## §. X.

Munerum Pastoralium per Alandiam collatio ex gratiissima Regis Augustissimi denominatione in universum pendet. Et quod Ecclesiam Lemlandensem speciatim attinet, quum nec eadem sit numero la nec incolarum conditio lauta, Pastor Ecclesiæ solus conciones publicas & alia negotia sacerdotalia administrare tenet, in arduo tamen hoc munere ab alio sibi adjuncto Sacerdote plerumque adjutus, sed cui ille salarium præstabit. Optassem equidem, integrum Pastorum Lemlandensium seriem nunc exhibere; sed meum de his inquirendi studium valde fefellit monumentorum inopia, qui vero ad nostram pervenerunt notitiam, sunt ordine sequentes:

- 1:o *GEORGII HENRICI*, quem decreto Concilii Upsaliensis anno 1593 habitu subscriptissime legimus.
- 2:o *MARTINUS BUSCHERUS*.
- 3:o *ISAACUS BUSCHERUS*, antea Sacellanus in Lumparland.

4:o *MATTHIAS HEDEMORÆUS*, enjus cognomen locum ejus natalem indicat, an. 1657 Pastor Ecclesiæ Lemlandensis constitutus.

5:o *PETRUS RINGIUS* Pastor ibidem 1674.

6:o *MATTHIAS JOHANNIS*, antea Sacellanus in Lumparland, dehinc ad munus Pastoris in Lemland an. 1691 promotus.

7:o *JOHANNIS TORPANDER* Alandus, cuius cognomen indicare videtur, eum humili loco ortum & patre colono minori (Torpare), forte ad prædium Haddnås pertinente, fuisse natum. Ejus educationis ob singularem ingenii vim in eo adhuc puerō animadversam, follicitam egit curam Nob. D:na Christina BERGENSTJERNA. Vir fuit multæ ac præclaræ eruditionis, qui an. 1692 Aboæ in 4:o edidit disputationem *de intellecdione increata*, Præside LUND, & biennio post dissertationem gradualem, cui titulus: *Ratio Sana de captivo Gentilium lumine, sive insufficientia Naturalis Religionis ad salutem, contra insanam Edvardi HERBERTI, Baronis Angli*, in 4:o, Præside RUDEEN, eodemque An. 1694 die 25 Nov. honores obtinuit Magisteriales, quadriennio ab hinc seu an. 1698 Pastor Lemlandensis fuit constitutus; nec dubito, quin ad hanc sui Alumni promotionem, quantum potuit, contulerit Nob. Christina BERGENSTJERNA; munus au-

autem hoc, quod in viridi obtinuit ætate, fatis præventus per annum tantummodo spatum administravit.

8:o *Ericus HAMMAR* Pastor an. 1699 designatus.

9:o *Gabriel Andreæ FRONDELIUS*, Austro Finlandus, civis Academicus 1692, edidit an. 1699 Aboæ *Rhabdologiam seu dissertationem de numeratione per virgulas in 8:o* Praefide RUDEEN; & anno sequente dissertationem gradualem in 8:o cui titulus: *Circulus artium, quæ appellantur liberales*, eodem Praefide; quibus aliisque eruditionis speciminiibus præstitis, circa finem ejusdem anni Philosophiæ Magister sollenniter fuit renunciatus. Deinde Collega Scholæ Cathedralis Aboensis, paulo post Collector ibidem & anno 1706 Pastor Ecclesiæ Lemlandensis constitutus. Incidit hujus ætas in tempus Patriæ turbulentissimum & Alandis, sub truculenti hostis jugo spiritum ægre ducentibus, funestissimum; quo autem deceperit anno me fugit.

10:o *Paulus Danielis MANSNERUS*, Alandus, civis Academicus Aboensis 1694, post pacem almæ Patriæ redditam, Pastor Ecclesiæ in Lemland an. 1721 fuit creatus, quem licet consanguinitatis gradu attingam, fuit enim carissimæ meæ Matris Avus, vitam tamen ejus plene enarrare nequeo, muneri sibi demandato per septemdecim, ut opinor, annos præfuit.

11:o *Daniel Pauli MANSNERUS*, Alandus, natus an. 1702, privata usus institutione, donec in studiis

litterarum adeo profecerat, ut An. 1725 civitati Academicæ Aboensi nomen dare posset. Hic autem duabus inclaruit dissertationibus, in publicam emissis lucem: altera de *Cultu Dei externo*, Præside BJOERK-LUND an. 1731, altera de *sapiente Stoicorum*, Præside HASSEL, an. 1732 utraque in 8:o, quibus legitime præstitis, summos in Philosophia honores die 11 Julii st. v. anni proxime memorati consequebatur. Sacro Ordini an. 173 initiatuſ, & die 25 Novembr. an. 1736 in matrimonium duxit lectissimam virginem, Christianam ROTHOVIAM, Pastoris in Hammarland filiam; atque post Patris carissimi obitum ex concordibus incolarum parœciæ Lemlandensis suffragiis, quæ rata esse jussit Rex Clementissimus, die 19 Decembr. an. 1739 pastoris muneri admotus; sed non multo post ob ingruentem vim hostilem solum vertere & in Svetiam se recipere coactus. Postea designatus, qui in synodo an 1746 Aboæ habenda, concionaretur; sed partes sibi injunctas ob insequentem Episcopi morbum & deinceps mortem obire ei non licuit. Ex vita an. 1765 discessit.

12:o Otto Johannes AMNORIN, Viburgensis, natus An. 1721, Gymnasium adolescens frequentavit Borgoënsse, donec ob navatam litteris operam in numerum civium Academiæ Aboënsis cooptari An. 1740 mereretur. Sacerdotali ad Legionem Aboënsem pedestrem functurus munere An. 1752 sacris initiebatur.  
An.

An. 1754 die 8 Januarii thalami sociam sibi junxit honestissimam Virginem Helenam PALÉEN, civis ac mercatoris Nystadiensis PALÉENI filiam. An. 1759 ex gratissimo Regis diplomate Pastor ad Legionem modo memoratam factus, & An. 1767 ex gratia Regis unanimis Lemlandenfium votis horum Pastor constitutus, Praepositi decore die 15 Julii An. 1784 ornatus; cui annis ac meritis venerabili Myrtæ & a suis parochis impense dilecto, placidam & vegetam omnes ac singuli appreccamur ætatem.

### §. XI.

Sicut incolarum incrementum pro eximio tam Divinæ bonitatis, quam imperii prudenter ac feliciter administrati documento haberi debet; ita præsentis quoque descriptionis ratio postulat, ut designationem natorum, parium matrimoniorum junctorum ac denatorum in parœcia Lemland his exhibeam pagellis talem, qualem Acta Ecclesiæ nobiscum benevole communicata continent :

Anni

Anni	Nati.	Matr. Junct. paria.	Denati.	Anni	Nati.	Matr. Junct. paria.	Denati.	Anni	Nati.	Matr. Junct. paria.	Denati.
1715	6			T.r	91	17	68	1771	39	7	29
1716	1			1744	31	5	12	1772	37	11	40
1717	4			1745	29	2	7	1773	20	10	26
1718	7			1746	24	3	14	1774	36	5	21
1719	9			1747	29	5	23	1775	27	13	23
1720	3			1748	21	2	18	1776	35	5	14
1721	2			1749	23	1	13	1777	55	7	36
1722	12	I		1750	22	2	23	1778	29	4	13
1723	8	3		S:a	270	37	178	1779	26		14
1724	5	3	I	1751	26	3	13	1780	34	8	36
1725	10	5	I	1752	18	6	21	S:a	338	70	252
1726	14	3	8	1753	19	7	21	1781	29		18
1727	15	7	8	1754	25	9	10	1782	33	5	24
1728	10	3	8	1755	25	8	15	1783	29	3	18
1729	15	11	3	1756	23	1	12	1784	23		10
1730	20	16	10	1757	20	3	24	1785	25	5	27
S:a	141	52	39	1758	14	2	9	1786	37	5	31
1731	33	5	22	1759	21	6	16	1787	27	9	29
1732	24	14	8	1760	21	7	14	1788	31	5	13
1733	34	7	14	S:a	212	52	155	1789	21	7	27
1734	22	5	13	1761	24	9	21	1790	26	5	22
1735	37	6	13	1762	13	6	24	S:a	281		55
1736	29	1	35	1763	36	3	10				219
1737	25	7	17	1764	25	7	49				
1738	34	4	17	1765	27	6	31				
1739	30	6	28	1766	29	8	17				
1740	30	7	23	1767	30	4	35				
S:a	298	62	190	1768	34	10	12				
1741	36	9	21	1769	26	6	23				
1742	32	4	27	1770	34	3	24				
1743	23	4	20	S:a	278	62	246				
T.r	91	17	68								

Sed argumenti hujus filum, quod nunc interrumpere rerum mearum postulat habitus, propediem, si Deo O. M. ita visum fuerit, resumam.

J. N. D. O. M.

Dissertatio Historica

De

Paroecia Alandiæ Lemland,  
Eique Annexa Lumparland,

---

Cujus Partem Posteriorem,

Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboensi,

Præside

Mag. JOHANNE BILMARK,

Histor. ac Philos. Praet. Professore Reg. & Ord.

Pro Gradu

Publice examinandam proponit

DANIEL FERDINANDUS

MALLEN,

Alumnus Regius, Alandus,

In Auditorio Majori die XVI Junii

Anni R. S. MDCCXII,

Horis post meridiem solitis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

## §. XII.

**E**xiguam differendi materiam mihi præbuit Parœcia Lemland, qua autem multo minorem subministrat, quæ eidem est annexa, Lumparland; cuius descriptio meam qualem cunque nunc postulat operam. Est autem Lumparland insula, ad boream, orientem & meridiem mari, minoribus aliquot distincto insulis, cincta, ad occidentem vero eam alluit lacus, seu sinus maris amplior, *Lumparen* a nostratis appellatus. A Parœcia Lemland per fretum eo, quo trajectus fit loco, 900 aln. Svec. circiter orientem versus disjuncta, hac tamen magis boream versus exorrecta, adeo ut illius pars meridionalis aquilonari parœciæ Lemlandensis oræ ferme rœpondeat: in longitudinem vix ultra sesqui-quadrantem milliaris Svecani, & in latitudinem per tres admodum quadrantes dicti milliaris patet, proindeque ejus arca vix quintam partem milliaris quadratici Svec. exæquat, seu 4600 jugera circiter continet. Quæ de cælo soloque parœciæ Lemlandensis supra dixi, in insulam Lumparland ob viciniam locorum pariter valent. Nomen fortita est hæc insula a contiguo maris sinu occidentali, *Lumparen* dicto, quæ vox descendit a Gothicō *Lumpen*, quo vocabulo designari solet res, vel in se minoris momenti, vel saltem in relatione ad aliam talis habita, ut adeo *Lumparen* nuncupatus, quasi *mare exiguum*.

## §. XIII.

## §. XIII.

Est autem insula Lumparland magis montosa, quam Lemland; inter ejus montes præ ceteris eminent mops, *Kasberget* nuncupatus, ad occidentalem terræ partem haud procul a promontorio *Lumpo* situs, ejusque altitudo juxta meam qualemcumque mensurandi rationem, sine instrumentis factam Mathematicis, a superficie subjecti maris per 72 uln. Svec. in perpendicularem adsurgit altitudinem. Appellationem fortitus est a *Kafe*, quæ vox congestam lignorum struem, graviori quadam calamitate, incolis, ab hostibus præsertim imminentem, incendendam denotat; qualem pyram in monte dicto olim fuisse exstructam, omni caret dubio. Circa medietatem ferme hujus montis species quædam antri occurrit, ex lamina crassiori lapidea, alii saxo in formam plani inclinati superimposita, & locum interiorem ita excavatum formante. Habet hoc antrum longitudinem 8, latitudinem 4, altitudinem pariter 4 ulnarum, introitum vero angustiorem, quippe non ultra sessqui ulnam, sive longitudinem sive latitudinem spectemus, patentem. E regione fere hujus introitus murum ex congestis lapidibus industria humana formavit. An hoc antrum vel vorticibus aquarum cataclysmi universalis, vel viribus hominum suam debeat formationem, expisciari non potui, nec mihi constat, an peculiari cuidam usui idem antiquissimis destinatum fuerit temporibus. Si quis sibi persuadeat, veteres piratas, titulo, ut barbara tunc erant tempora, honorifico *Wikingar* nuncupatos, ad hoc antrum ex procelloso vel infido se

contulisse mari, & in eodem sua subinde condidisse spolia, ei suæ præsumptionis delicias lubens permitto. Quamvis autem antrum hoc non semel perlustraverim, nihil tamen in eodem præter quædam inveni ligna, vel in necessitatem a nautis, ad hoc littus appulsis, vel potius in delectationem ac recreationem a pueris incensa.

§. XIV.

Quum area insulæ *Lumparland* ne quartam quidem constituat partem Parœciæ *Lemland*, & ob frequentiam montium, & aliorum impedimentorum hac culturæ sit minus apta, fieri aliter nequit, quam ut numerus pagorum & prædiorum in illa sit minor; quos tamen ad eundem, quem supra indicavi tenorem, heic adferam, scilicet *Clemetsby* - 4 (a), *Krogstad* - 2, (b), *Lumpo* - 3, *Norrboda* - 4 (c), *Skag* - 1 (d), *Svinö* 3 - (e), *Lumparby* - 6 (f) Huc præterea pertinet Terra communis (*Allmånnings jord*) nec non insula *Tvegata* nuncūpata.

- (a) Ad tenorem antiqui illius albi, cujus supra mentionem feci, in hoc pago superiori seculo fuerunt 5 prædia, quæ nunc numerantur quatuor; unum horum Sacellano loci ad habitationem concessum, suis non caret commodis.
- (b) In ambo hæc prædia jus vestigale (*Skatte rättighet*) numerata pecunia sibi comparasse memoratur. Aulæ Magister D:nus *Alexander du Clounx*; alterum horum nunc est vestigale, alterum fiscale.
- (c) In pago olim fuerunt 5 prædia; ceu antiquum docet Rationarium, quæ nunc 4 memorantur.

(d) Præ-

(d) Prædium hoc, quod ex terra inculta & extranea (*utjord*) Pater meus dilectissimus & post fata desideratissimus, Rei venatoriae per Alandiam Præfectus, ISRAEL JACOBI MALLÉN excoluit, eidemque ingentes pro suis facultatibus impendit sumptus, ratione tam opportuni situs, quam symmetriæ, numeri & amplitudinis ædificiorum multum offert oblectamenti. Ejus speciem venustam haud parum auget hortus heic instructus, pluribus fructiferis luxurians arboribus.

(e) Heic quoque invenitur hortus, cerasis consitus.

(f) Unum hujus pagi prædium, quod olim fuit liberum, posedit Nob. *Johannes Svinhusvud*, infelici fato notus.

### §. XV.

Templum annexæ Ecclesiæ *Lumparland* in medio fere insulæ haud procul a sinu *Capellsviken* nuncupato, ex ligno est exstructum. Tres mutationes illius, sicut per traditionem accepi, distinguere licet periodos: primum idemque antiquissimum circa medium seculi XVI ad radices illius collis, in quo præfens collucet, ex ligno etiam fuit confectum, (antea templum Lemlandense frequentasse videntur incolæ); sed dum hoc non multa post lustra saticeret, cajus tamen manifesta adhuc supersunt rudera, alind in eodem colle, quo hodiernum compareret, fuit ædificatum, quod vero nec longam tulit ætatem, a Rossis quippe, dum Alandiam altero hujus seculi decennio suis sibi subjectam tenebant copiis, nescio quo iracundiaæ thyrso percitis, incensum. In ejus deinceps locum præsentem ædem sacram supra eadem basi nostri exstruxerunt insulani,

nec operibus nec sumtibus in re tam necessaria parcentes, eique ab Apostolo St. ANDREA nomen indiderunt. Longitudo ejus est 19, Latitudo  $11 \frac{3}{4}$ , altitudo parietum 5 & tecti sublimitatis  $10 \frac{1}{2}$  uln. Svec. tetrum ex scandalis (*spån*) est confectum. Interiora hujus templi contemplantibus duo se statim offerunt ambulacra, in medio fere ædis se decussatim secantia, altero a meridionali janua ad januam sacrarii, altero ab occidentali parte orientem versus recta tendente. Ab utraque parte duæ occurruunt sellarum series, & in qualibet decem sedilia longiora. Sed quum hæc de votos non caperent auditores, exstructa insuper fuit contabulatio superior (Läcktare), quatuor instructa scamnis, in cuius adversa parte repræsentantur duodecim Christi Apostoli, hac adjecta inscriptione: *Denne läktare är bygd i Pastor Daniel Mansneri och Sa cellani Henric Lindqvists tid 1760, målad af Claudius Lang.* Altari imposita est tabula ex asseribus confecta, in qua repræsentatur Salvator mundi Christus, ultimam cum suis discipulis habens coenam, hac adiecta epigraphe: *Denna Altartafla förård til Capellet på Lumparland 1736 af coufardie-farären Anders Edbårg, född i Clemetsby.* Ex tecto templi duo pendent lychnuchi, ex orichalco confecti; quorum major sex extensis brachia hanc offert inscriptionem: *År 1768 är denna Krona för Lumparlands Capells egen kostnad blefven förfärdigad i Stockholm af Johan J. Mårtens son.* Minor quatuor gaudet brachiis & hac inscriptione: *Gudi til åra förård af Jöns Andersson i Ångb med dess*

des huſtru Catharina Matts dotter Hysing. Anno 1712.  
 Horum filius ſuggeſtum ſuis pingendum curavit ſumti-  
 bus, ceu appiēta docet inscriptio: Denna målning på Pre-  
 dikftolen är påkofte af Anders Jönſon i Ångö år 1760.  
 Målad af Claudioſ Lang. In Cancellis, qui diſtingvunt  
 chorū a templo ſuſpensa eſt tabula, orationem continens,  
 quam gl. mem. Rex GUSTAVUS III ad Ordines regni  
 Holmiæ an. 1772 convocatos habuit. Intra templi am-  
 bitum nulli occurrunt lapides ſepulchrales, epigraphe  
 quadam notabiles. Alia templi hujus cimelia, inter  
 quæ prœcipue eſt Pallium Sacerdotale ſericeum, quod  
 eidem dono dedito fertur Nobilissima Christina BER-  
 GENSTJERNA an. 1659 silentio jam prætero.

## §. XVI.

In ædificio turrito, cuius apex ſupra baſin per 30 uln. eſt elevatus, ad occidentalem templi partem ſicuti mos fert, exstructo, duæ campanæ, quam utramque liberalitati Nobilissimæ Familiae Bergenſtjernianæ Ecclesiæ in Lumparland debet, quoties vel populus ad conciones vocandus, vel imminens indicanda calamitas, pulsantur. Minor harum caſalato omni deſtituta opere, hanc gerit inscriptionem: Manhafta Capite in Johan Olofſon Berg och Kirstin Peders dotter. Gud giſve dem lycko och välfardt an. 1660. Major earum firſuram egit, dum in testificationem publici doloris ex obitu gl. mem. Reginæ Ulricæ Eleonoræ an 1741 pulsabatur. Refuſam hanc fuſſe campanam & ean-  
 dem, ſed novo habitu eſſe cum hodierna majori Lum-  
 parlandenſi facilis crederem, niſi inſcriptio doceret,

hanc

hanc emtam fuisse. Ita enim hæc sonat: *Till Guds å-  
ra*, och *Lumparlands Capells församlings prydnad är*  
*denna Klocka köpt uti Pastoris Magr. Daniel Mansneri*  
*tid --- Me fecit J. Mejer, Holmiae. Coemeterium tra-*  
*bibus consveto modo sibi impositis est septum at-*  
*que opportunis clausum portis.*

## §. XVII.

In sacris concionibus habendis Pastor, vel qui  
suam levat operam, sacerdos, & Sacellanus vices in  
templis pro re nata permuntant; quamobrem etiam  
Sacellanus in Lumparland ex *intégra parœcia Lem-*  
*land* *salarium percipit.* Qui Sacellani munere in an-  
nexa modo memorata functi, ad nostram notitiam  
pervenerunt sequentes:

1:mo *ISAACUS BUSCHERUS*, qui Pastor Ecclesiæ  
Lemlandensis postmodum fuit constitutus.

2:do *MAGNUS ANDREÆ*, qui circa medium supe-  
rioris seculi munus Sacellani gessit.

3:to *ISRAEL HAMMAR.*

4:to *MATTHIAS JOHANNIS* ad munus Pastoris  
in Lemland an. 1691 promotus.

5:to *SVENO FORSMAN*, Vermelandus, An. 1679  
Civis Academicus Aboënsis, & an. 1691 Sacellanus in  
Lumparland factus; sed cui muneri per tempus admo-  
dum breve præfuit; ei enim

6:to *MICHAEL HENRICI STIGELIUS*, Nylandus, An. 1693 successit.

7:mo *JOHANNES TECTONIUS*, Nylandus, An. 1693 Civis Academicus Aboënsis, & an. 1704 Comminister in Lumparland.

8:vo *HENRICUS LINDQVIST*, Alandus, natus an. 1705, Civitati Academicæ Aboënsi an. 1729 adscriptus, an. 1744 Sacellanus in Lumparland, quam spartam per annos XLI administravit, octogenarius ac cælebs ex hac vita an. 1785 excessit, postquam per duos annos, apoplexia laborans, mutus fuisset.

9:no *ISRAEL FERDINANDUS HARTMAN*, Nylandus, natus an. 1748, Civitati Academicæ Aboënsi an. 1758 adscriptus, an. 1768 sacro initiatus Ordini ex vocatione sui Antecessoris, an. 1770 Adjunctus Pastoris ac Præpositi in Lemland, an. 1786 Sacellanus in Lumparland; cui in suum & Ecclesiæ commodum quævis fausta & felicia ex animo apprecoꝝ.

### §. XVIII.

Membrorum Ecclesiæ in Lumparland tam incrementum, quam decrementum annum sequens sistit tabula, quam heic apposuisse haud pigebit, licet eadem quod ad prima præsentis seculi decennia fragmentum referat.

Ann	Nati.	Paria conjug.	Denati.	Anni	Nati.	Paria conjug.	Denati.	Anni	Nati	Paria conjug.	Denati.
1704	2	--		T:r	8	I	II	T:r	21	2	II
1705	9	--		1732	6	3	3	1763	14	3	12
1706	9	--		1733	9	2	8	1764	11	4	7
1707	11	--		1734	10	4	10	1765	15	2	12
1708	6	--		1735	12	--		1766	12	--	4
1709	10	--		1736	6	--	19	1767	11	--	18
1710	8	--		1737	9	2	7	1768	14	5	5
1711	8	--		1738	11	2	13	1769	10	--	4
1712	10	--		1739	9	6	8	1770	7	4	5
1713	10	--		1740	8	--	10	S:a	115	20	78
1714	3	--		S:a	88	20	89	1771	14	4	5
1715	--	--		1741	17	I	12	1772	14	2	6
1716	--	--		1742	5	4	5	1773	12	1	10
1717	--	--		1743	5	--	12	1774	6	3	2
1718	--	--		1744	11	3	8	1775	12	--	--
1719	--	--		1745	7	6	6	1776	8	--	--
1720	--	--		1746	13	2	3	1777	11	3	7
S:a	86	--	--	1747	8	--	5	1778	10	1	8
1721	--	--		1748	8	4	7	1779	8	2	14
1722	I	--	I	1749	12	I	2	1780	16	--	5
1723	3	3	I	1750	12	2	8	S:a	III	16	57
1724	6	--		S:a	98	23	68	1781	6	--	7
1725	5	3	--	1751	11	I	4	1782	10	3	6
1726	12	2	--	1752	10	2	8	1783	8	3	8
1727	7	I	--	1753	17	4	12	1784	12	3	5
1728	9	I	7	1754	14	--		1785	11	2	9
1729	8	4	7	1755	12	2	5	1786	7	4	5
1730	12	--	7	1756	13	I	5	1787	22	4	26
S:a	63	I4	23	1757	11	--	16	1788	14	4	12
1731	8	I	11	1758	6	3	7	1789	10	2	8
T:r	8	I	II	1759	17	3	14	1790	18	5	5
				1760	13	2	7	S:a	II8	30	91
				S:a	124	I8	85				
				1761	13	2	3				
				1762	8	--	8				
				T:r	21	I2	II				

Ex utriusque Tabulæ Natorum ac Denatorum tam in parœcia Lemland §. XI, quam proxime præcedente in annexa *Lumparland*, perlustratione, nonnulla proponam porismata, attenti Lectoris curiositati sponte sua se forte offerentia.

1:mo Ex his igitur colligere licet, quod ab anno 1730, ex quo certior habetur natorum ac denatorum numerus, ad initium anni proxime præterlapsi, seu sexaginta annorum spatio populus in parœcia Lemland 462, & in annexa Lumparland 185 personis circiter fuerit auctus. Dico circiter, quum non constet, quot vel maritimis itineribus vel belli tempestatibus obierint, vel ad alias se contulerint provincias.

2:o Quum Majores nostri ab anno 1713, ob ingravescentem hostium sævitiam suos relinquere cogerentur penates, ac per insequentes VIII annos triste admodum fatum eis incumberet, nihil litteris ab eis fuit mandatum, unde illæ in utraque tabula lacunæ.

3:to Habita décenniorum computatione colligitur, numerum natorum uno circiter triente superare numerum denatorum, incrementumque cuiuslibet ferre anni esse satis notabile, majus futurum, nisi variolæ & alii morbi, infantiae præsertim peculiares, haud mediocrem subinde edidissent stragem.

4:to præter allatum cululum, salubritatem harum insularum ostendentem, eam quoque evincit quorundam incolarum longævitas. Obiit enim anno 1737 hodierni coloni in *Lumparby Olavi Johannis filii Socrus* anno ætatis suæ CVI; & in *Lumparland* præterea sunt duo viri, totidemque foeminæ, qui ætatem feré secularem singuli obtinuerunt.

## §. XIX.

Memoriæ prodit Rev. Doct: BÅNG, CATHARINAM, gl. mem. Regis GUSTAVI I. Viduam, in Alandorum utilitatem statuisse urbem condere in littore portus *Flaka*, advenientibus undique navibus per quam commodi, precibus autem civium Holmensem, timentium, ne sua hinc detrimentum caperent commercia, permotam, ab hoc destitisse incepto (a). Quum Historicus hic ætatem Reginæ commemoratae proxime attigerit, fidem narrationis ejus sollicitare nolo, quamvis hoc angustum consilium a nullo alio relatum adhuc invenerim; attamen non video, quid periculi commerciis Holmensib[us] per constitutam in Alandia urbem imminuisset, quum sinum sive Bothnicum, sive Fennicum navigantes pauci, nisi tempestibus compulsi, a recto Holmiam versus divertissent itinere, & Alandi, undis velut innati, proindeque maritima itinera non molesta censentes, merces suas Holmiam potissimum transvexissent; docente experientia, oppida minora in majorum urbium vicinia posita, phtisi quadam ita adfici, ut suam raro eluctari queant tenuitatem.

(a) Vid. ejusd. Hist. Ecclesiastic. Svec. Gotb. p. 298.

## §. XX.

Quæ œconomiam parœciæ Lemland Cameralem plenius cognoscendam spectant, eorum pleraque lingua proponam Svecanæ, non quod vocabula Latina desint, materiæ substratæ designandæ haud inepta, sed quod eadem sensum non fundant satis clarum, rerum patriarum

rum ignaris. Enligt den ofvannämnde Jordeboken öfver Åland, författad år 1661, var då i Lemlands Soknar Skatte jordemarker (a) 6813  $\frac{1}{3}$ ; Crono dito 4213, Kyrko Jordemarker 38; Summa 11064  $\frac{1}{3}$  jordmarker; Skattehemman 59, som i mantal gjorde 57  $\frac{1}{2}$ ; Kronohemman 30, görande i mantal 24  $\frac{2}{3}$ , Frälsehemman, 1, dess mantal  $\frac{1}{2}$ , Således voro i denna Församling 90 hemman, och mantal 76  $\frac{1}{4}$ . Men enligt 1789 års Jordebok befunnos i bægge soknarne 11244  $\frac{3}{4}$  Jordemarker, Byar 22, gamla hemman 91, nya 92, gamla mantal 77  $\frac{1}{8}$ , nya mantal - Skatte 22  $\frac{6\frac{1}{2}}{19\frac{1}{2}}$ , Crono D:o 23  $\frac{27}{32}$ , Tre allmånnings Skatteholmar och en allmånnings Krono jord.

(a) In dimensione agrorum, pratorumque Alandi adsumunt fundamenti loco Jordmarker, sicut in aliis regionibus numerantur Jugera.

### §, XXI.

Ad tenorem antiquioris illius saepius citatae Alandiæ descriptionis, prædia paroeciæ Lemland in universum sequenti taxata fuerunt modo:

Hemmanen tillsammans räntade	Silsvermynt.	D:r	öre	p:r.
til Cronan:				
Årlige räntepenningar	—	—	40	30 3 $\frac{1}{2}$
Afrads penningar	—	—	10	
Skjuts penningar	—	—	7	10
84 T:r 38 K:pr (a) Spannemål	—	—	191	4 9 $\frac{2}{3}$
155 L:d 11 $\frac{1}{2}$ M:r Smöt	—	—	252	26 23 $\frac{2}{3}$
30 L:d 4 $\frac{1}{3}$ M:r Fläsk	—	—	37	24 16
30 L:d 4 $\frac{1}{3}$ M:r Torr Fisk	—	—	22	21 4 $\frac{4}{7}$
	E 3	—	14	ft:n

225	$\frac{1}{2}$	st:n	Fogel	—	—	—	21	5	3
7	ft:n	Kor	—	—	—	—	28	—	—
14	ft:n	Får	—	—	—	—	10	16	—
33	$\frac{1}{2}$	Alnar	Valmar	—	—	—	6	9	—
49	$\frac{1}{2}$	Läss	Hö	—	—	—	37	4	—
225	$\frac{1}{2}$	Läss	ved	—	—	—	28	6	20
1726	$\frac{7}{2}$	Dagsvärken	—	—	—	—	323	23	12
2	T:r	13	M,r	Strömming	—	—	8	5	$4\frac{4}{5}$
							1016	3	$1\frac{3}{5}$

(a) Ex veteri mensura 40 Cappar efficiebant unam Tonnam.

### §. XXII

Ex tabula census (*Mantals-långden*), an. 1791 per parœciam Lemland instituti, colligere licet, numerum hominum in utraque insula Lemland & Lumparland tunc degentium, fuisse 1135 (a) numerumque familiarum (Röctalet seu Matlagen) confecisse summam 143; quare quum earundem area conficiat unum circiter milliare Svecanum quadraticum, patet, parœciam hanc intuitu numeri incolarum nulli fere earum, quæ in australibus regni provinciis paris sunt amplitudinis, esse secundam, solis forte Scanicis exceptis (b). Præterea quum solum Lemlandense sit pluribus in locis fabulosum, adeoque segetibus proferendis per se minus idoneum, ruricolaे nostri exiguos in uniyersum habent agros, qui quantumvis largiter saginati ac bene culti, tantam tamen frumenti copiam non præbent, quanta necessitati incolarum sufficeret; quem tamen defectum quodammodo supplet captura piscium. Insuper quum paœcua tam in utraque parœcia, quam in adjacentibus mi-

nori-

noribus insulis sint pinguia ac læta, greges quoque pecorum copiosum fundunt lac, ex quo optimum bu-  
tyrum & caseos haud contemnendos in suos conficiunt  
usus. Ligna denique præbent silvæ non in necessarios  
tantum usus, sed ut plures orgyias Holmenibus sup-  
peditent; nulla proinde insulanis nostris est ratio, qua-  
re de duriori conquerentur fato.

(a) Nyssnämde år voro uti Lemlands församling. Man-	
tals pengar betalande personer	608
Privilegerade	30
Barn under 15 år	358
Bräcklige, utfattige och öfver 63 år gamle	<u>139</u>
	S:a 1135

(b) Ex libro Nob. *LAGERBRING Stats-kunskapen öf-  
ver Sverige* dicto, colligere licet, quod in Sveciæ pro-  
vinciis, quæ habentur populosiores, raro plures, quam  
1100, intra milliare quadraticum inveniantur homines.

Mihi quidem fuit propositum, summam redditum  
publicorum, quales nunc ex hac parœcia colliguntur  
exhibere; sed quantam cunque adhibui solitudinem, in  
calculo tamen plures occurrerunt lacunæ, nulla mea  
industria jam supplendæ; quamobrem hoc opus in  
aliam differo occasionem; antequam vero filum dis-  
quisitionis hujus Historicæ, temporis angustia pressus,  
abrumpto, **BENEVOLUM LECTOREM**, quo par est,  
verborum honore rogatum venio, velit sequentia ver-  
ba, in parte priori prætermissa, benigne adscribere  
scilicet

Pag. 9. linea 2, post *Söderby* 9, addantur *Wästermarkelag*, *Hellstorp* 8, *Knutsboda* 3, *Lemböthe* (b) 3.  
*Nåtö* (c) 3, *Jersö* 3, *Flaka* *Markelag* och *By* 9.

Pag. 16. linea 8, lege Fr. pro *Friherrinna*.

